

isse sincera bilis, sed cum multa pituitæ copia permixta in cerebro. Proinde lib. 3. cap. 18. Paulus eam curare iubet inunctionibus digerentibus, modicè refrigerantibus, & roborandi vim habentibus.

12. Fernelius à bile flava paralyfin fieri existimat, quod nonnullos tertiana febre laborantes paralyticos factos fuisse animaduverterat. Verùm nec ista paralyfis à bile flava propriè est. Sed potius quia febrilis calor pituitam redundantem in corpore colliquat, & propter debilitatem membrorum tempore rigoris ad neruos propellat, aliquando ad articulos, vnde excitatur arthritis. Nec alia ratione vinum generosum immodicè sumptum paralyfin excitat, quam quia humores frigidus ad neruos propellit.

13. Deinde constipatio neruorum quæ causa apoplexiæ est, oritur à tumore in substantia spinæ aut partis neruosæ secundum medullarem substantiam potissimum, transitum spirituum animalium impediente. Sed hoc modo paralyfis rarius contingit. Tertio compressio excitatur ab ictu, contusione spinæ aut neruorum, vel à luxatione vertebrarum spinæ ad latus, vel à tumore extrinsecus comprimente, aut à vinculis iniectis neruosis partibus. Sub angustia spinæ & neruorum à nonnullis comprehenditur subsidencia neruorum, ob vehementem siccitatem à calore siccante substantiam neruosarum partium, eamq; densante & cogente. Verùm à tali siccitate nerui aut tendinis relaxatio non oritur, sed potius contractio siue conuulsio, quæ si augeatur sensum partis diminuerè interdum solet, vt supra diximus. Hæ sunt causæ propinquæ ipsius paralyfis, siue morbi vnde excitatur.

14. Verùm remotæ causæ sunt, quæcunq; genus neruosum debilitant, & humores noxios gignunt & accumulunt, & ad neruos aut initia neruorum impellunt, cuius generis sunt aëris ambientis nimia frigiditas & humiditas, cibi pituitosum

Causæ remotæ.